



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Quæstiuncula I. Quid sit modus in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

in obliquo tantum, quod nullus admisit, magis quam hanc propositionem, *privatio est ens reale habens negationem*, &c.

RESOLUTIO III.

VII. Dico 3^o. Privatio dici debet medium inter ens animæ & ens reale, quod non nisi abusivè dicitur esse, ut *cacitas est, tenebrae sunt*; nam cum esse sit proprium entis, illarum propositionum est hic sensus, *cacitas est ens, tenebrae sunt ens*, qui est apertè falsus; quare dici debet, *visus non est in oculo, lux non est in aëre*; ac proinde illud medium explicari debet per non esse entis realis ante animam, si ante animam; vel per non esse entis animæ, si post animam.

VIII. Dices fortè, ante animam est distinctio inter Petrum & Paulum, sed distinctio secundum nos est negatio identitatis, &c. ergo negatio est ante animam.

IX. Respondeo distinguendo majorem, ante animam est abusivè distinctio inter Petrum & Paulum, concedo majorem; est propriè, nego majorem; licet enim ante animam propriè dicatur *Petrus non est Paulus, Petrus est distinctus à Paulo*, id est, est res connotans negationem identitatis cum Paulo; abusivè tamen dicitur est distinctio, propter rationem in Resolutione datam, quia negatio propriè non est; sed ens duntaxat.

X. Instabis fortè: eodem modo se habet non ens ad esse, sicut se habet ens ad non esse; sed propriè ens non est, ergo etiam propriè, & non abusivè tantum non ens, sive negatio, est.

XI. Respondeo distinguendo minorem; sed propriè ens ut ens non est, nego minorem: ens quod fuit ens ut tale non est, concedo minorem: similiter distinguo consequens, ergo propriè non ens ut non ens; sive ut negatio, est, nego consequentiam; non ens quod fuit, ut ens, est, concedo consequentiam, sed illud, non est necessariò negatio pura (de qua hic agimus) sed ens ante possibile jam habens existentiam; unde propriè dicimus *ens*, quod fuit, ut tale non est, & *non ens*, quod fuit ut ens, est; sed tunc per *non ens* non intelligimus negationem, medium inter ens animæ & reale; nam *cacitas* v.g. sive quæ est, sive quæ fuit, nunquam est ens; ac proinde

nunquam est; sed id quod aliquando est ens positivum, quod ens, visus v.g. qui fuit, aliquando est, & aliquando non est, quando scilicet nondum fuit, aut desit, unde manet lata disparitas. Ex his

XII. Colliges 1^o. abusivè dici distinctionem realem esse ante animam, & debere dici, unum ens reale ante animam non esse aliud; prima tamen locutio toleratur propter auctoritatem communem.

XIII. Colliges 2^o. negationes & privationes quarumcumque rerum, etiam materialium, non posse in se cognosci, quia non sunt entia, sed non entia; cognitionis vero objectum in se cognoscibile est ens; sed per res, quarum sunt negationes & privationes, cognosci debent, ut vel ipsa experientia docet; non enim aliter cognosco cæcitatem, quam per absentiam visus ab oculo; tenebras, quam per absentiam lucis ab aëre: unde non nisi abusivè dicimur videre tenebras; nec hujus dicti alia veritas esse potest, quam, quod non videamus lumen, aut objectum, quod videremus, si lumen adesset.

XIV. Colliges 3^o. negationes ac privationes multò minùs dici posse ens reale negativè tantum expressum; quia sic reverà essent ens reale, & ab eò solà expressione distinctæ.

DUBIUM II.

An in materia sint plures privationes, & an illæ sint capaces intensiōis & remissionis.

RESOLUTIO I.

XV. Dico 1^o. in materia sunt tot privationes, quot sunt possibiles formæ, quæ absunt.

XVI. Probatur, quia illud nihil aliud est, quam non esse tot formas in materia, quot de factò non sunt, & esse possunt, quod omnino verum est, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

XVII. Dico 2^o. Privationes sunt capaces intensiōis & remissionis, pro capacitate formarum, quarum sunt privationes.

XVIII. Probatur, quia unus dicitur alio magis vel minùs cæcus; aër uno tempore magis tenebrosus, quam alio, ergo, &c.

DISPUTATIO SEXTA.

De Unione inter Materiam & Formam.

I. **Q**uia dicturi sumus unionem esse modum quemdam ab extremis suis modaliter distinctum, & passim in sequentibus occurrit sermo de modis, circa naturam modorum, sit

QUESTIO CVLA I.

Quid sit modus in genere.

II. **M**odum communiter definiunt multi, id quod ex debilitate suæ entitatis est immediata & actualis determinatio extra animam ad effectum formalem; vel ut alii, immediata & actualis informatio: Definitionem suam probant inductione; omnes modi in particulari, actio scilicet & unio sunt ta-

les, ergo & modus in genere: consequentia patet; probant antecedens, quia alioqui modi in particulari essent indifferentes ad effectum formalem tribuendum, vel non tribuendum, deberentque ad illum tribuendum determinari per aliud, quod vel esset immediata & actualis determinatio ad effectum formalem, vel non? si prius, quidniidem dicitur de primo modo? si posterius, debet etiam determinari per aliud, de quo idem quæretur, & sic in infinitum; quia non est major ratio, quare unum esset immediata & actualis determinatio ad effectum formalem, quam aliud; sed talis processus tanquam absurdus & superfluous est vitandus, ergo, &c.

III. Sed contra est 1^o. quod non apparet, cur, sicut datur ens perfectissimum in existentia ab alio

F 2 insepar

inseparabile, ut patet in Filio respectu Patris & Spiritus sancti, dari non possit forma aliqua perfectissima à subjecto suo in existentia inseparabilis; isti autem formæ convenirent modi definitio, & tamen modus non esset; quia per modum omnes intelligunt entitatem valde imperfectam, & propter tenuitatem ac imperfectionem suæ entitatis à subjecto inseparabilem.

iv. Contra 2º. sicut unio albedinis in pariete est immediata & actualis albedinis & parietis informatio; ita & albedo unionis; quia, ut Disputatione 2ª. vidimus, quæ sibi uniuntur ut actus & potentia, sese mutuo denominant; nullus tamen dicit albedinem (& idem est de anima rationali) esse modum suæ unionis.

v. Contra 3º. quia per effectum formalem in definitione positum, vel intelligitur effectus formalis in genere unionis, vel in proprio genere formæ? si primum, clarior est nostra definitio; si secundum, quælibet forma erit modus; quia est ultima & actualis determinatio ad effectum formalem in proprio genere; albedo enim est ultimum & actu determinata ad faciendum parietem album, licet non sit ultimum & actu determinata ad esse unitum parieti, quod præcedere debet per modum conditionis *sine qua non*, non secus ac approximatio passii combustionem.

vi. Dices intelligi effectum formalem in genere unionis & simul proprio identicè.

vii. Respondeo talem effectum formalem agnoscere non posse pro aliis, quàm educatione; alioqui dicendum omnes formas substantiales esse accidentales, exceptâ potentia instrumentali materiæ, quæ in venerabili Sacramento, & animâ rationali, quæ in morte, à materia realiter separantur, ut Quæstionculâ 2ª. patebit.

viii. Contra 4º. non satis apparet, quâ ratione modus à re distingui possit per esse debilem & non solidam entitatem: 1º. quia debile & debilius videntur ejusdem naturæ, sicut calidum & calidius: 2º. quia omnis forma creata respectu Relationis divinæ, est infinites debilior, quàm sit unio respectu animæ; nullus tamen dixerit omnem formam creatam esse modum: 3º. velim semel scire, unde judicetur de debilitate aut soliditate entis? non imprimis ex inseparabilitate, ut statim diximus de Patre in Divinis respectu Filii; neque etiam ex immediata informatione, ut statim vidimus, & alioqui sic frustra particula ista *ex debilitate*, &c. in definitione ponerentur: quare pro meliori definitione modi in genere sit

RESOLUTIO.

ix. **D**ico: modus rectè definitur *duorum realiter distinctorum unio*.

x. Probatur refutatione aliarum sententiarum, ad quarum probationem Respondeo modum sic esse *actualement informationem*, ut id, aliis præterquam modis, conveniat, unde definitio hæc modi non subsistit; & illa nostra, cum omnes faciantur duorum realiter distinctorum unionem esse modum, omnino subsistit.

QVÆSTIVNCVLA II.

An dentur modi sive entia modalia.

RESOLUTIO.

xi. **D**ico: dantur modi, sive entia modalia: est contra plerosque Nominales, quos se-

quantur Valentia tomo 4º. Disputatione 1ª. quæstione 2ª. & Ioannes à sancto Thoma Physicæ quæstione 6ª. articulo 3º.

xii. Probatur, ut duo contradictoria Physica per propositiones de præsenti de eodem verificentur, requiritur aliqua mutatio realis extrinseca, vel intrinseca; sed *corpus est unitum formæ, corpus non est unitum formæ; forma esteducta, forma non esteducta*, sunt talia contradictoria, ergo, &c.

xiii. Subsumo, atqui mutatio illa non potest fieri, nisi per positionem, vel ablationem modi alicujus, ergo, &c. Probatur subsumptum, 1º. quia ad illam non requiritur alterius generis ens, puta solidum & Physicum; imò, cum omne ens solidum & Physicum sit indifferens ad uniri & non uniri, indiget modo unionis à se realiter distincto ut uniat, quod infra patebit: 2º. quia connotata diversa, etiam non sufficiunt; uti similiter infra patebit, ergo, &c.

xiv. Probatur major argumenti: quia alioqui idem corpus immutatum in se & in extrinseco, modò esset unitum, & modò non esset unitum; eadem forma immutata in se & in extrinseco, modò esseteducta, & modò non esseteducta, quæ contradictoriè repugnant, non secus ac modò esse, & modò non esse, absque intrinseca, & extrinseca formæ immutatione, ergo, &c.

xv. Confirmatur, necessariò admitti debet actioeductiva, quæ sit realiter unio & unio actionis noneductivæ v.g. creationis; sed omnis unio est modus, ut constat ex dictis Disp. 4ª. Dub. 3º. ergo, &c. Major constabit ex Disp. 6ª. de Unione dub. 1º.

QVÆSTIVNCVLA III.

An modi omnes fiant per actionem realiter à se distinctam.

RESOLUTIO.

xvi. **D**ico: omnes modi non fiunt per actionem realiter à se distinctam, sed seipsis.

xvii. Probatur, quia datur unicus modus, nempe duorum realiter distinctorum unio; sed omnis unio est suiipsius, vel alterius, sine alio realiter distincto (ut statim)educto; ergo nullus modus fit per actionem realiter à se distinctam; Probatur consequentia, quia omniseductio est duorum realiter distinctorum unio, ut constabit ex dicendis; ergo ipsa non potest sine processu infinitum fieri per actionem realiter à se distinctam.

xviii. Dices 1º. non est ratio, cur potius eadem entitas educationis sit ultima, & actualis determinatio in duplici genere, fiendi scilicet & uniendi, (& idem est è converso de unione in duplici genere, uniendi & fiendi) quàm eadem entitas albedinis (& sic de aliis formis, quæ habentur solidæ; unde res erunt modi) in duplici genere, albicandi scilicet & uniendi: sed hoc est absurdum, ergo, &c.

xix. Respondeo negando assumptum; potior enim ratio est, quòd illa, quæ sunt duorum realiter distinctorum unio, essentialiter habeant uniri & fieri seipsis; nec id negari possit sine processu in entibus infinito; albedo verò (& sic de aliis formis, sive substantialibus, sive accidentalibus) non est talis, sed sola unio, quæ esteductio sui præcisè sine termino realiter à se distincto, aut termini realiter à se distincti: neque in hoc puncto